Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1827

Quelle:
Copyright:



*tronellam* Magiſtram ac Conventum Sororum ad S. *Jacobum* ſ. Auguſtini ord. Canon. regularium in calce data *Anno domini 1454. Conuerſionis ſanctiſſimi Pauli die*, de Contractibus *Cenſuum*, in quantum liceant, prout jam *Vol.* I. P. 3. *col.* 2604. retuli.

II. *fol.* 49. Tractatus *de Diſcretione* ἀδέσποτος, conſtans *Capp.* 36. quorum 1. incipit: *Quod ſola diſcretio religioſis ſumme neceſſaria perducit ſine errore ad perfectionem. Bonum eſt ſal. Luc. 13. Sal. diſcretionem ſignificat.* &c. Definit ultimum: *ſtabilitas, quam quis vouet expreſſe, de qua tamen poſterius latius dicetur.* Verum nihil ſequitur. Praeterea in fronte Opuſculi adjectum eſt: *Iſte eſt tertius tractatus ſive tertia pars.* Verum nihil antecedit. Quaerendus igitur eſt plurium ejusmodi Libellorum parens. Atque hic ſe offert M. *Nicolaus Kemph de Argentina* Carthuſiae *Gemnicenſis* in *Auſtria* alumnus, cujus quaedam ex alio Codice jam hoc *Vol.* indicavimus, vitam vero et Scripta refert *Bern. Pezius* in *Praef.* T. IV. *Biblioth. Aſceticae.* Apud eundem etiam T. IX. p. 381. ipſum noſtrum *de Diſcretione* Tractatum habes, nihil tamen de numero aut ordine Tractatuum expeditum.

III. *fol.* 109. *Queſtio Veſperialis M. Pauli de Mellico.* Viri hujus, proprio nomine *Leubman*, etiam aſtronomica diſciplina exculti, Eccl. noſtrae Cathedralis tandem Decani, et a. 1479. extincti Acta referuntur in P. II. *Scriptor. Univerſit.* p. 14. et nos alibi hoc *Vol.* illius meminimus. Quaeſtio ejus *Veſperialis*, id eſt, pridie habenda, quam Doctoratus adſumantur Inſignia, ſic ſonat: *Vtrum durante ſtatu generalis Innocentie paradiſi incole poterant mori, peccare, ac dampnacionem incurrere?* Quomodo *Veſperiae* in Univerſitate *Vienn.* actae ſint, vide in *Statut. Facult. Theol.* Tit. XVI. apud *Lambec.* L. II. c. 5. p. 163. aut in *Analect. Vindob. Kollar.* T. I. p. 157.

IV. *fol.* 117. *Queſtio veſperialis M. Johannis de Lambaco profeſſi Monaſterij ibidem.* Ita quidem: *Vtrum durante ſtatu generalis Innocentie et corpus ſubderetur anime ac ſingule eius vires fuiſſent deo obedienter ſubiecte?* De hoc Coenobita Benedictino *ſuper. Auſtriae* nihil mihi compertum.

V. *fol.* 125. Diſcutitur Quaeſtio: *Vtrum in ſacramento altaris ſit aliquid ſubſtantie panis?* Quatuor errores ſibi refellendos ſumit Diſputator: 1) dicentium, Subſtantiam Panis annihilari. 2) manere una cum Chriſti Corpore. 3) Suppoſitum Panis deſinere eſſe ſecundum ſuum Eſſe ſuppoſitale Paneitatis. 4) Panem non remanere in Eſſe ſuo perfecto, ſed quodammodo ſopito. Et hunc ultimum errorem ait referri *ſub proteſtatione tamen*, et *ſine eius aſſertione* a *Staniſlao* (de Znoyma) in tractatu, *quem prage de preſenti conſcripſit materia*, quemque nos non ſemel priore *Vol.* indicavimus.

Ter-